15 КОПѢЕКЪ KOPIEJEK PIĘTNAŚCIE

N^ro 4741. —

Clemens Bąkiewicz Archidiaconus Cathedralis. Sede vacante Episcopatûs, et Diœcesis Sandomiriensis Administrator Generalis. —

Ad infrascripta Delegatus Executor Apostolicus

Universis et singulis quorum interest, aut quomodolibet interesse poterit, hisce significamus, et ad notitiam indubitam deducimus. Quia Nos viso et lecto Brevi Sanctæ Sedis Apostolicæ dto Romæ die 18 mensis Maji an. cur. A Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium sequenti in tenore — —

Bme Pater —

Theophilus Jakubowski Sacerdos Congregationis Scholarum Piarum expresse Professus Diœcesis Sandomiriensis cupiens pauperibus suis consanguineis succurrere, dimissus a Congregatione munia parochialia uti Vicarius exercet — Ast votis in Religione emissis obstrictus, attentaque penuria Cleri secularis Sanctitatem Vestram exorat, ut prædictis de causis perpetuam sibi secularisationem atque habilitationem ad unum etiam Curatum Beneficium canonicé assequendum velit impertiri — — —

Et Audi: Smi habita ab infrascripto Domino Secretario Sæ Congregationis Episcoporum et Regularium sub die 18 Maji 1838 —: Sanctitas Sua attenta attestatione Vicarii Capitularis Diœcesis Sandomiriensis benigné annuit, et propterea mandavit, committi Ordinario præfatæ

Diœcesis, ut veris existentibus narratis, facultatem Oratori manendi, extra Claustra in Habitu Presbyteri sæcularis retento interius aliquo ejus regularis Habitûs signo, cum habitatione ad unum tantum Beneficium ecclesiasticum etiam curatum, quod dimittere teneatur, Orator statim, ac a suis legitimis Superioribus ad Claustra revocetur, legitimè assequendum, Nomine Sæ Sedis titulo Administrationis pro ejus congrua sustentatione, pro suo arbitrio et conscientia impertiatur, facta idem oratori potestate acquirandi, atque acceptandi hæreditates, et Legata, aliosque proventus, ac de iisdem legitimè acquisitis, post præsentis Indulti Executionem disponendi, dummodo in Sæculo inculpatè obire contigerit, per actus inter vivos, sive causa mortis, etiam per Testamentum, sine præjudicio juris cuicunque alteri quæsiti, dummodo non agatur de rebus ad Ordinem spectantibus, vel sub speciali religiosa Renunciatione comprehensis, prælevata aliqua parte favore suæ Religionis, seu alicujus causæ piæ, Ita tamen, ut substantialia votorum suæ Professionis, cum statu

compatibilia observet, et sub obedientia ejusdem Ordinarii, etiam in vim voti religiosi maneat

Romæ — — — J. Card. J L. S.

J. Patriarcha C. P. Secretarius. —

edito, eodemque pro vero illæsaque agnito, ac nulla suspicionis nota obnoxio, præmissum Breve — Authoritate Sanctæ Sedis Apostolicæ Nobis specialiter delegata præsentibus admittimus, supradicto Reverendo Theophilo Jakubowski Facultatem extra Claustra in Vestitu Cleri secularis, retento attamen aliquo Signo regularis habitus interius gestando, manendi; Beneficium ecclesiasticum, etiam Curatum, quod Ipsi canonicé collatum fuerit, possidendi, fructus ejusdem in sui ac suorum Consanguineorum Sustentationem convertendi iisdemque proventibus pro necessitate disponendi —, Hæreditatesque ac Legata servata superius inserta conditione, acceptandi impertimur. Ipsum ab Obedientia religiosa eximimus, et Obedientiæ Loci Ordinarii subjicimus, Cœtui Cleri Diœcesani secularis inviscéramus, omniumque Jurium, quibus Sæcularis Clerus gaudet, participem futurum declaramus

Datum Sandomiriæ die 2/14 Octobris 1838 anno —

(subscriptum:) Clemens Bakiewicz Administ. Diœc. Sand. Ad præmissa Delegatus Executor Apostolicus

Præsentem Extractum

ad N. 1000 / 842.

Praesentem Extractum cum suo originali officioso Actu in Archivo Consistorii Generalis Dioecesis Sandomiriensis conservato de verbo ad verbum concordare testor. — — —

Datum Sandomiriae die 10/22 mensis Julii 1842do anno — ..

Laurentius Stoiz Regens Cancellariae et Actorum Consistorii

AB 14.